

na probabilitas de gratia, nam etiam in parabola virginum in qua (ut bene expendit Cajetanus super caput xxv Matthæi) loquitur Dominus de his qui non perditæ sed composite vivunt, et ipsum tamquam sponsum, non tamquam judicem expectant ratione suæ professionis, vel modi vivendi, adhuc tamen dimidia pars dicitur damnata propter negligentiam interioris munditiæ, et charitatis per oleum significatæ. Tertium genus est eorum, qui diligentiam adhibent in peccatis evitandis, et emundanda conscientia, raro cadunt, statim confitentur, et conantur surgere, diu perseverant sine evidenti peccato mortali, frequentant sacramenta sine notitia indignæ susceptionis, sæpe concipiunt propositum firmum non offendendi Deum, lætitiæ quamdam et promptitudinem in divinis rebus, et bonis operibus sentiunt, non torporem, aut pigritiam, interiorem pacem, et serenitatem habent, castitatem amant, et humilitatem, et patientiam, a temporalibus non multum retrahuntur, vel moti non multum formidant: tales habent signa valde probabilia de sua gratia, vel omnia ista, vel aliqua illorum plus vel minus, et moraliter

sunt certi de sua gratia et salute, sed tamen illis memoranda sunt illa verba Psalmi. xviii: *Ab occultis meis munda me Domine, et ab alienis parce servo tuo*: et illud Pauli i Corinth. iv: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. Et si recordantur se peccasse, illa sententia Ambrosii libro secundo de pœnitentia, capite x, cum timore expendenda est: « Facilius autem inveniri, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam. » Quod præsertim verum est, cum passim videamus multos qui graviter peccaverint nihil de vita mutare, neque in jejunio, neque in oratione, neque in aliis pœnitentiæ operibus hæc timorem incutiunt, quantumvis non simus consci peccati. Illud vero Ambrosii in fine secundi libri de pœnitentiæ consolatur: « Cum, inquit, agens pœnitentiam dum sanus est, et reconciliatus si postea bene vixerit, securus est, quid est bene vivere post pœnitentiam doce nos. Dico vobis abstinere ab ebriositate, a concupiscentia, a furto, a malo eloquio, ab ipso immoderato risu, a verbo otioso. » Sic Ambrosius. Hic ergo hujus materiæ de gratia, ipsa donante gratia, sit finis.

## QUÆSTIO CXIII.

### DE JUSTIFICATIONE.

Diximus in initio materiæ de gratia, quod S. Thomas ordine scientifico tractatum istum distribuens, primo incipit a quæstione an est: secundo, processit ad quæstionem quid est: tertio, consideravit ea quæ sunt extrinseca gratiæ, scilicet causas et effectus. De quæstione an est egit quæstione cix, tractando de necessitate gratiæ: de quæstione quid est egit quæstione cx, quantum ad quidditatem gratiæ: et quæstione cxii, quantum ad divisionem, quia post definitionem qua explicatur quidditas sequitur divisio. De his autem quæ extrinseca sunt, scilicet causis, et effectibus gratiæ, primo disputavit de causis quæstione cxii. Nunc restat agere de effectibus, qui sunt in duplici differentia: nam alius effectus est quasi formalis, alius quasi effectivus. Formalis vocatur justificatio, et dicitur effectus, gratiæ operantis, sumpta gratia operante pro habitu, non pro actuali auxilio. Effectiva autem sunt actus elicitive procedentes a gratia, et virtutibus, scilicet meritorii, de quibus agitur quæstione cxiv, quæ est de merito.

In exponendo autem illo effectu formali, qui est justificatio, tria præcipue considerat S. Thomas tamquam difficiliora capita ad quæ cæteræ difficultates revocantur. Primum est, ex parte termini a quo, removet enim justificatio peccatum, et ideo requirit remissionem peccatorum tamquam destructionem termini a quo: secundum est, ex parte termini ad quem, scilicet ex parte formæ, qua fit justificatio, quæ est infusio gratiæ: tertium est, ex parte dispositionum, quæ requiruntur ad infundendam gratiam, et quem ordinem, et proprietatem habeant inter se. Ex hoc autem infert tamquam corollarium in calce quæstionis quantum, et quam magnum opus sit justificatio, et an dicenda sit miraculosa. Nos ergo eundem ordinem doctrinæ sequentes totam materiam de justificatione in tres disputationes distribuimus. Prima erit de remissione peccati: secunda de forma justificante: tertia de dispositionibus ad gratiam, et ordine illarum inter se.

#### ARTICULUS I.

*Utrum justificatio impij sit remissio peccatorum?*

I. Conclusio: Justificatio est remissio peccatorum, quando fit per motum a contrario, id est, de statu peccati ad statum justitiæ.

II. Notandum est, quod articulo sexto infra, eandem fere difficultatem ponit D. Thomas inquirens, an remissio peccati sit connumeranda

inter ea, quæ requiruntur ad justificationem impij, unde videtur hoc fuisse superfluum, supposito quod in isto articulo primo jam erat determinatum quod justificatio includit remissionem peccatorum. Sed respondetur duas hic intervenire difficultates, quas oportuit D. Thomas distinguere. Nam in primo articulo voluit distinguere justificationem, quæ est remissiva peccati, ab ea quæ non est remissiva peccati, ut quando infunditur homini non habenti peccatum, ut in primo pa-



rente, et in Angelis. Explicato autem quod justificatio aliquando includit remissionem peccati, restabat alia difficultas de ordine quem servant inter se isti duo effectus, scilicet remissio peccati, et infusio gratiæ. Unde ad exactam explicationem ordinis quem servant inter se dispositiones, et effectus gratiæ, oportuit de novo tangi illam secundam difficultatem. Nos autem disputatione sequenti promiscue tractabimus ea quæ spectant ad hunc primum articulum et ad sextum.

## DISPUTATIO XXVI.

## DE REMISSIONE PECCATORUM.

Remissio peccati secundum diversos respectus, et formalitates, et est effectus gratiæ, quatenus formaliter tollit peccatum, et est effectus pœnitentiæ, quatenus satisfaciendo, et expiando destruit offensam peccati. Hic autem omittimus omnia illa, quæ ipsam concernunt, ut est effectus gratiæ.

## ARTICULUS I.

*Quid includatur in conceptu remissionis peccati?*

I. Cum constet apud omnes remissionem peccati in suo absoluto, et adæquato conceptu importare deletionem peccati, ad explicandum ea quæ in conceptu isto includuntur, oportet distinguere quid includatur in peccato, ut videamus quid importare debeat remissio ut tollat illud.

II. Igitur hic non loquimur de ipso actuali peccato, quia actus pec-

cati proprie non dicitur remitti, sed cessare transeunte actu, vel expelli per oppositum actum, sed loquimur de peccato pro effectu remanente ex ipso peccato. Et hic consideratur duplex effectus: alter in ordine ad ipsum peccatorem: alter in ordine ad Deum. In ordine ad peccatorem relinquit pro effectu privationem quamdam rectitudinis rationis, et consequenter rectitudinis supernaturalis, quæ est per gratiam, et pertinet hæc privatio ad maculam, quia omnis privatio nitoris vocatur macula. Et ex hac privatione rectitudinis sequuntur multæ aliæ deordinationes in potentiis, quæ vocantur vulnera naturæ, id est, infirmitates quædam potentiæ, et defectus, qui numerantur a D. Thoma supra quæstione LXXXV. In ordine autem ad Deum infert peccatum quamdam rationem offensæ, quæ non est privatio alicujus formæ realis, sed est læsio juris divini, quæ est quasi quædam denominatio, seu relatio rationis, quatenus peccator non tribuit Deo rationem finis ultimi, sed in creatura illum constituit, et hoc jus læsum reputatur quidem ex perfecta justitia per Christum, imperfecta autem satisfactione per pœnitentiam, gratis autem per remissionem Dei.

III. Contra hanc tamen rationem injuriæ, et læsioni divini juris insurgit Vazquez II tom. 1-2, disp. CCIV, cap. VI et I tom. III p. disput. II, cap. III, et videri etiam potest 1-2, disp. CCXXXIII, cap. II, qui existimat rationem injuriæ in peccato non distingui a macula, et aversione a Deo. Unde censet consequenter quod sublata ista macula, et aversione, sine alio novo favore, et acceptatione Dei tollitur ratio offensæ, atque ita tota ratio quare gratis justificamur est, quia gratis nobis conceditur a Deo auxilium supernaturale ad elicendum actum contritionis, quo

elicito, per illum sine alio favore tollitur ratio offensæ in peccato. Imo infert in prædicta disputatione CCIV, cap. VII, quod satisfactio Christi pro nostris peccatis non ita obligat, et adstringit Deum quin possit ei negare id quod meretur, et sic indiget acceptatione Dei, nostra autem satisfactio, et retractatio quæ fit per contritionem inest nobis ut forma quæ tollit maculam peccati: et sic sine nova acceptatione tollit rationem offensæ.

IV. Contra hanc sententiam Vazquez late disputat Suarez I tomo, III p. disput. IV, sect. VIII, et Lorca in præsentis disputatione XXXIII, et alii recentiores et nos egimus in materia de incarnatione, ad quam quia directe pertinet ista quæstio, et ad materiam de pœnitentia, hic solum breviter insinuandum est fundamentum contra Vazquez, magis supponendo quam disputando, etenim secundum Scripturam negari non potest veram, et propriam injuriam fieri Deo per peccatum, expresse enim id docet ad Hebræos X, in illis verbis: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcavit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit:* et Isai. III: *Lingua eorum, et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus:* ac denique omne peccatum absolute vocatur offensa, dum dicitur Jacob II: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Sed offensa, quæ est idem atque injuria, non potest esse sola macula habitualis, et aversio peccati, quia ratio offensæ, et injuriæ respicit distinctam personam ab injuriante, nemo enim sibi ipsi facit injuriam: at vero ratio maculæ dicitur respectu ejusdem personæ quæ maculatur, et avertitur a Deo per peccatum; ergo

aliud est in peccato ratio maculæ, aliud ratio injuriæ, seu contumeliæ. Et confirmatur, nam injuria cum talis sit, debet privare aliquo jure, nam sine læsione juris non potest intelligi injuria, macula autem non est privatio juris, sed lucis, et nitoris gratiæ, seu rationis; ergo necessario distinguendæ sunt istæ formalitates in peccato, seu privationes.

V. Si inquiras in quo consistit istud jus quod lædit peccatum, respondetur considerandum esse in Deo duplex jus, alterum ut legislator, et sic transgressio legis non est læsio juris stricte dicti, sed læsio obedientiæ, nisi in ipsa transgressione inferatur specialis injuria legislatori, verbi gratia, qui percuteret principem, aut qui blasphemat Deum: alterum jus est finis ultimi, in quantum omnes actiones humanæ debent ordinari in Deum, et actio quæ non ordinatur ad illum, ita ut ponat finem in alio, est contra honorem debitum Deo, ad quem habet jus, et hoc læditur proponendo creaturam Deo. Et hoc discursu utitur sanctus doctor quæst. XXVIII de veritate, art. II, unde ex eo quod ponitur finis a peccatore in re temporali, infert fieri Deo injuriam in quocumque peccato mortali, qui locus omnino est contra Vazquez, nec sequitur quod in quocumque peccato mortali sit duplex malitia, altera ratione proprii objecti, altera ratione injustitiæ contra Deum, quia licet jus divinum lædatur, quia tamen non est a nobis compensabilis læsio illius, non est injustitia proprie dicta, ut notavit D. Thomas 2-2, quæst. XVII, art. I ad tertium: « Justum, inquit, secundum propriam rationem non possumus reddere Deo, et propterea non dicitur proprie jus divina lex, sed fas, » ergo læsio illius, quia non est læsio juris compensabilis a nobis, constituit quidem maximam



rationem injuriæ, sed non propriam injustitiam.

VI. Ex his sequitur, quid includatur in conceptu remissionis peccati, scilicet ut tollatur peccatum quoad utramque formalitatem, seu privationem et maculæ, et offensæ; et utrumque quidem tollit gratia tamquam unica forma, sed non secundum unicam formalitatem: sicut etiam anima est unica forma, sed non secundum unicum gradum tribuit suos effectus formales. Nam ad tollendam privationem maculæ solum indiget intrinseca formalitate sanctificationis sine alio favore, vel acceptatione Dei, quia cum macula sit privatio rectitudinis rationis, et gratiæ, sicut gratia ipsa sine ullo Dei favore est intrinseca rectificatio supernaturalis, ita sine aliquo favore habet tollere maculam, quæ est privatio rectitudinis. At vero ratio offensæ, et injuriæ licet etiam tollatur per informationem gratiæ, non tamen sub præciso conceptu sanctificationis, sed ut est effectus gratuitæ voluntatis Dei condonantis injuriam; et gratia quidem per se, et ex propria ratione gratiæ petit procedere ex amore Dei miserentis, et propitiantis nobis, et convertentis se ad nos, et ratione hujus voluntatis, cujus gratia est effectus, dicitur Deus per gratiam justificare, non gratis, et remittere peccatum. Potest tamen aliquando gratia procedere a Deo non ut effectus voluntatis condonantis injuriam, sed præcise sanctificantis nos, ut quando infunditur non peccatori, sicut primo parenti, et Angelis.

VII. Sed objicies: Deus dat nobis gratiam ex satisfactione Christi rigorosa; ergo non dat illam gratis, etiam quantum ad condonationem injuriæ, quia ex vi satisfactionis Christi condonatur. Nec dici potest, quod respectu nostri datur gratis, non vero respectu Christi, qui plane

satisfecit: nam si aliquis debet centum, et alter satisfacit pro ipso dando eadem centum creditori, non dicitur creditor gratis remittere debitum etiam ipsi qui debebat.

VIII. Respondetur hoc argumentum posuisse S. Thomam in 3. quæst. xix, artic. iv, arg. iii, et respondet quod Christus meruit quidem salutem nostram, sed ad ejus consecutionem oportet, quod incorporemur in illo, et hoc ipsum est gratia, quod homini concedatur regenerari in Christo, et sic salus hominis est ex gratia. Itaque Christo nulla fit gratia quod remittatur peccatum hominis incorporati cum illo, sed homini fit magna gratia quod incorporetur cum Christo, et applicetur ei meritum illius sive per baptismum, sive per pœnitentiam, sive in re, sive in voto. Unde exemplum allatum deficit, quia loquitur de solutione pretii applicata, et exhibita determinate pro isto debitore, sic enim applicato pretio non fit ei gratia, pretium autem Christi non est applicatum de facto isti, vel illi in particulari, sed omnibus commune, et magna gratia fit mihi quod applicetur, illo autem applicato non indiget alia gratia peccator ut illi remittatur peccatum, sed ex rigore justitiæ remittitur per Christum, per summam autem gratiam peccatori cui applicatur.

#### ARTICULUS II.

*Utrum sine aliqua mutatione intrinseca in anima possit fieri remissio peccatorum?*

Hanc difficultatem disputaturi sumus in sequenti disputatione agendo de forma justificante per quam fit remissio peccatorum, et ablatio maculæ, seu privationis intrinsecæ. Unde solum restabat agere de ablatione peccati in ratione offen-

sæ, an possit fieri per condonationem extrinsecam. Sed ne multiplicemus quæstiones, melius videtur utrumque sensum sequenti disputatione tractare, agendo de forma justificante, tam respectu ablationis maculæ, quam remissionis offensæ.

#### ARTICULUS III.

*Utrum remissio peccati sit mutatio distincta ab infusione gratiæ et justificatione?*

I. Ut punctus difficultatis breviter percipiatur, advertendum est, quod infusio gratiæ, et remissio peccati considerari possunt, vel in ratione actionis, sive motus, vel in ratione præcise mutationis: qua distinctione utitur S. Thomas quæst. xxviii de veritate, artic. i et vi, et ut dicit ibidem et hic articulo vi ad secundum, certum est quod in ratione actionis eadem actio est qua gratia infunditur, et qua peccatum tollitur, sicut eadem actio est qua generatur unum, et corrumpitur aliud, quia una actio sufficit producere terminum ad quem positive, et remove terminum a quo; sed licet sit unica actio generatio et corruptio, tamen quia sunt duæ mutationes, mutatio corrumpens formam, et mutatio generans aliam, difficultas hic est, an in ista actione gratiæ infusiva, et productiva illius in subjecto, interveniat etiam mutatio corruptiva aliqujus formæ oppositæ. Et est ratio dubitandi, quia ex peccato non relinquitur aliquid positivum, quod per infusionem gratiæ debeat corrumpi, sed sola privatio maculæ, quæ per gratiam debeat tolli; sed ubi non est aliqua forma corrumpenda, sed pura privatio tollenda, non est duplex mutatio, sed unica; si enim est privatio, illa non cor-

rumpitur, quia est nihil, et non ens, quod autem est non ens non corrumpitur; ergo non datur hic mutatio corruptiva, sed solum productiva, quæ est infusio gratiæ.

II. Et confirmatur, quia in justificatione, qua infunditur gratia non peccatori, ut in Angelo, et in primo parente, qui non fuerunt peccatores antequam justi, sed simul cum natura acceperunt gratiam, infusio gratiæ solum est unica mutatio productiva, et nulla corruptiva, quia non præsupponitur aliqua forma opposita, quæ possit corrumpi: ergo similiter in justificatione impii non est aliqua mutatio corruptiva, quia ipsum actuale peccatum jam non est, sed transivit, id autem quod relinquitur ex peccato non est forma positiva, quæ sola est capax corruptionis: ergo non intervenit hic mutatio corruptiva.

III. His rationibus utitur Cajetanus hic articulo sexto ad asserendum, quod in justificatione impii non est duplex mutatio, sed tantum termini, qui requiruntur ad duplicem mutationem, mutatio enim productiva est a non esse ad esse, mutatio vero corruptiva ab esse ad non esse. Unde si in peccato non relinquitur aliquid quod habeat esse, sed solum quod sit privatio, vel non ens, implicat inveniri in illa mutationem corruptivam.

IV. Nihilominus oppositum tenet expresse S. Thomas quæst. xxviii de veritate, articulo primo, qui postquam dixerat, quod si justificatio consideretur ut quidam motus (id est, in vi actionis quæ est motus) est idem quo peccatum aufertur, et justitia infertur, tamen si consideretur in vi mutationis, sic aliam mutationem significat justificatio, scilicet justitiæ generationem; aliam peccatorum remissio, scilicet corruptionem culpæ. Quod magis explicat ibidem articulo sexto ubi dicit, quod